

Q. D. B. V.

Ad

ACTUM ORATORIUM

De

SUMMO BONO,

In Illustri Augusteo instituendum,

D. XI. Aug. Hor. IX.

UTRIUSQUE REIP. PATRES
AC CIVES,

quâ par est veneratione ac amore,

invitat

M. CHRISTIANUS *Weise*

Zittâ-Lufatus, Polit. Eloqv. & Poës.

Professor Publicus.

LEUCOPETRÆ,

Literis HILDEBRANDIANIS.

OLD T. R.
ACCEPTED FOR REGISTRATION
SERIALS SECTION
UNIVERSITY OF MICHIGAN LIBRARIES
ANN ARBOR, MICHIGAN
MAY 19 1964
SERIALS SECTION
UNIVERSITY OF MICHIGAN LIBRARIES
ANN ARBOR, MICHIGAN
MAY 19 1964



Vi saniorum ethnico-
rum perlustrant scripta, eo-
rumque observant sanctita-
tem, quam accuratè omnia
ad vitæ morumque integri-
tatem, conscientia quietem,
famæ constantiam, ad so-
lam denique collimaverint
virtutem, & quam longis
parafangis è christianorum

numero non paucos post se reliquerint, facile in hanc
incidunt quæstionem: an æternæ quoque salutis facti
fuerint participes? Nam cur felicitatem hujus vitæ ab
iis removeamus, causa est nulla: quippe quod mirifi-
cè placuerint sibi, in ipsâ etiam conscientia, qui unius
saltem virtutis opinione fuerunt conspicui, nec puto,
Aristidem Justitiæ, Cimonem liberalitatis, Scipio-
nem castitatis, Atticum modestiæ poenituisse unquam.
Ipse Cicero, qui tamen alibi conqueritur, se nihil in-
venire, in quo acquiescat, in epistolis certè suis, o-
mnes fortunæ iniquioris arietes, solâ benè factorum
conscientiâ frangi aut repelli posse, contendit firmis-
simè. Ac proinde, si recedamus à divitiis & volu-
ptatibus, quas multi ex illis quæsiverunt, quas etiam
ethnicorum porcis libenter relinquere debent Chri-
stiani, in ipsa virtutum actione, non sine placidâ ani-
mi tranquillitate multos acquievisse suaviter, negari

A 2

nullo

nullo modo potest. Æternam verò vel perspicere
vel impetrare potuisse beatitudinem, periculosum fo-
ret affirmare. Quotusquisque enim de immortalita-
te animæ verum & indubitatum fovit sensum? Sene-
ca sanè efficit, ut dubitemus de plerisque. Nimirum
cum multa passim dixisset tantum non christiana, de
expectandis post mortem gaudiis, in *Consol. ad Mart.*
cap. 19. sic statuere non erubescit: *Mors omnium dolorum
& solutio est & finis, ultra quam mala nostra non exeunt, quæ
nos in illam tranquillitatem, N. B. in quâ, antequam nasceremur,
jacuimus, reponit.* Ludibrium deinde facit Poëtis, quod
Tartara, quod campos Elysijs, aliâque sua somnia
obtruserint credentibus. Egregiam verò felicitatem,
quæ in nudâ consistit mali privatione, & post vitam
nulli non communis est bestię. Et quid aliud per
Pythagoræ quæsiuit *μετεμψύχωση* Diabolus Dei Simia,
quàm ut ridiculam faceret immortalitatem? Platonem
quidem peregrinatione per Syriam institutâ, percepisse
de Judæorum dogmatibus nonnulla, atque adeo non
ineptè postea philosophatum fuisse, concesserim:
multa tamen è gentilium placitis admixta fuisse vel ab-
surda vel impia, quis abnuerit?

Sanè qui Christi gerunt nomèn & profitentur
doctrinam, ferè sine impietate rem adeo claram non
possunt disputare, propterea quod unicam salutis
viam aperuerit Salvator, eâ conditione, ut qui non
sequatur istam, præsentissimæ addictus maneat da-
mnationi. Nihilominus quia in ipso Ecclesiæ gre-
mio extiterunt aliqui, qui argumentum, ne joco defen-
dendum quidem, seriò commendandum susceperint;
forte alienum non fuerit istis Atheismi architectis ire,
obyiam. Recenset ejusmodi catalogum Chemnitius

Exam.

Exam. Concil. Trident. part. 1. de Operib. Infidel. §. 4. Iustum disputare, Socratem & Heraclitum, quia secundum rectam rationem vixerint, fuisse christianos; Clementem dicere, Philosophiam per se justificasse Græcos; Epiphanium statuere, sine lege Mosaicâ ac Evangelicâ, solâ lege naturæ multos fuisse justificados & salvatos. Erasmus autem Roterodamum in tali versatum errore, quod dixerit, parum abesse, quin exclamet, Sancte Cicero, ora pro nobis, vix est credibile, cum satyricum suum scribendi modum, ubiqve ferè in misellos detorserit sacrificulos. Istæ verò de Gentibus benevolæ opiniones, si unquam floruerunt, hoc nostro seculo videntur accepisse complementum. Prodiit enim anno 1663. Amstelodami liber, De Religione Gentilium errorumqve apud eos causis, Authore Eduardo Barone Herbert, de Cherburii & Castri, Insulæ de Kerri in Hiberniâ, ubi de sufficientibus, imò de optimis agere se jactat mediis, quibus ethnici ad consequendam salutem, vel usi fuerint, vel potuerint uti. Postquam enim primo disse-ruisset de immensa Dei misericordiâ, (cur non etiam de Justitia?) non potuisse fieri, quin communia omnibus hominibus media ad salutem proponerentur: (universalis adfuit, adestqve hodie vocatio) nam media ad victum, & amictum suppeditari largissimè, quanto magis quæ spectarent ad animæ pabulum. (cur libentius corporis arripiunt bona, neglectis spiritualibus æquè in usum patentibus?) Esse etiam tritum Scholasticorum dogma, facientibus quod in se est, non deesse gratiam salutarem. (Defendant hoc Scholastici, non tamen, opinor, cum Herberto Pelagianizant) Inde quinque concinnat articulos, quos non solum ab ethnicis perfectè cognitos, sed etiam ad impetrandam beatitudinem sufficientes fuisse deprædicat. 1. Esse Deum summum; 2. Coli debere; 3. Virutem & pietatem

esse precipuas partes cultus Divini; 4. Dolendum esse ob peccata, ab iisq; resipiscendum; 5. dari ex bonitate justiciaq;ve divina premium vel pœnam, cum in hac vita, tum post hanc vitam. Reliqua, quæ subjunguntur, magisq; sapiunt atheismum, tacendo refutantur commodissimè. Cum istis autem quinque articulis, non est, cur adeò delectetur gentiliū Patronus. Etenim demus ipsi veros esse quàm maximè, quis dicet sufficientes? & ut ordiamur ab initio, quis putet ab omnibus cognitos? Certè quem admodum ipse dubitat, universalem Evangelii vocationem, si venisset ad limites cujusvis provinciæ, pertingere potuisse ad rusticos & plebejos: ita major laborat dubio, rusticum istos quinque intellexisse articulos, quibus excogitandis, & vix suffecerint sapientiores, & Herbertus ipse, Christianus scilicet, insigniter desudaverit. Deinde si vel maximè tam essent clari, quàm sol in meridie, quis à naturæ imbecillitate, queat impetrare, ut quem admodum meliora probat, ita deteriora non sequatur? Deprehendimus hoc in sanctis, etiam θεοπνεύστους, excidere sæpè optimum propositum, leviq;ve tentatione omnem succumbere pietatis indolem: quid igitur non dicamus de iis, quos pleniore jure possidet Satanas? Nam quod subjungit de pœnitiâ, fulgur est ex pelvi. Si enim Deum agnoscunt summum, adeoque peccata in eum commissa, non nisi pro summis habere possunt, quis eos faciat certiores, Deum posse reconciliari? vel si hoc sit possibile, quis medium propitiationis subministret? At sine iis desperatio potius nascatur, quàm pœnitentia. Sed objicit Herbertus, peccata committi ab hominibus, non tam in Dei contumeliam, quàm in propriam utilitatem, sub boni alicujus apparentis obtentu: ac licet in eo fallerentur, nihil

hil

hil tamen infenso in Deum animo parari. O blasphemiam!
nam ut taceamus, quæ de inimicitia adversus Deum dis-
ferit Apostolus, quis quæso è mundanis principibus
tam sit facilis, ut læsæ Majestatis crimen ita patiatur ex-
cusari? Et cur prolixi sumus? unum sufficiat Christi
fulmen, *neminem nisi regeneratum intrare posse regnum Cælo-
rum.* Pudeat igitur Vossium, suâ curâ pestilentem pro-
diisse librum! Pudeat in extremo die Herbertum, se
ethnics non fuisse meliorem advocatum! Interim
quia nihilominus tolerantur atque æstimantur genti-
lium scripta, dubium alicui possit suboriri, cur actio-
nes nostras, non aliunde discamus moderari, quam
ab iis, quorum certissima jam sit damnatio? Sed mul-
ta possent reponi, si pagellæ concederet angustia.
Breviter: Ad vitam prudentiamque civilem pertinet
nosse jus naturæ. Id autem à Christiano vix exigetur
commode, cum multas animo vel per Catechesin
conceperit hypotheses, ut facile confundi queant no-
titiæ divinæ cum naturalibus, Gentes itaque sibi reli-
ctæ, cum aliud statuere non possent, nisi quod aut di-
ctitaret natura, aut saltem comprobaret, nostram me-
lius hac in parte juvant accuratorem. Deinde utile
est Christianis haurire à Gentilibus virtutum præce-
pta, ut, si non alliciantur pietate, vincantur pudore,
quemadmodum ipse Deus ad bruta nos sæpè ablegat
animalia. Culpandi certè non sunt Juvenes Politis-
simi, qui, postquam in hoc strenuè decurrerunt stadio,
publicè suæ sedulitatis extare cupiunt documenta,
eamque dicendi ambiunt facultatem, quæ nec sit ste-
rilis nec inutilis. Placuit ipsis trita, sed nunquam sa-
tis absoluta quæstio de SUMMO BONO, ita ut,
postquam Prologi vices exhibuerit

DN.

DN. MATTHÆUS Schlegel / Glauchâ
Misnicus,

pro VOLUPTATE pugnam suscipiat,

DN. GODOFREDUS Wog / Martisbur-
gensis Misnicus,

pro HONORE verba faciat

DN. JOHANNES WERNERUS PISTO-
RIUS, Barbya Saxo,

pro DIVITIIS militet

DN. TOBIAS NICOLAUS Herzog /
Aggeripontanus Thuringus,

pro VIRTUTE dicat

DN. NICOLAUS Klauwel / Longo-Salissa
Thuringus,

tandem, qui Prologi sustinuit personam, gratam quo-
que clausulam subnectat. Vos verò Patroni optimi;
Amici certissimi, quando prima hæc mea est functio,
quæ SUMMI BONI præ se fert omen, efficit, ut
per vos quoque sit Bona, & die craftini, quantum his
faveatis exercitiis, ostendite. Excitabitur apud omnes
eorum studiorum fervorem, apud me, ipsosque meos
Oratores gratiam ac observantiam indelebilem. PP.
d. 10. Aug. MDC LXX.